

quidam floruisse Sæculo post Christum natum VI. sunt arbitrati. Caveus, Dupinius, & alii, homines incertæ ætatis censuerunt. Et merito sane. Quod etiam subodorari possumus ex cap. III. Arethæ, ubi *Babylonem magnam* appellat, non Romam veterem, sed novam, *Constantinopolim* videlicet, in qua olim colebatur iustitia. Nunc autem in ea homicidæ habitant, ex mutua conventionem, dum cives Laici Ecclesiasticis æquari contendunt, & ne æquales quidem fieri contenti sunt &c. Hæc hominem produnt, qui inclinante Græcorum imperio scribebat. Atqui pluribus conjecturis Ordinus adductus censet, Andream Sæculo Nonno, & Photii temporibus vixisse. Sed quo revera tempore inter mortales versatus fuerit Arethas, diligentia atque eruditio Cl. V. D. Bernardi de Montfaucon Benedictini e Congregatione S. Mauri, nos edocebit, qui lib. IV. pag. 275. Paleograph. Græcæ, Codicem Græcum venerandæ antiquitatis commemorat, in Regis Christianissimi Bibliotheca adservatum, & scriptam manu Baanis Notarii Arethæ Archiepiscopi Cæsariæ Capadociae, Anno Mundi 6422. idest Anno Christi MCCCXCIV. his igitur temporibus vixit & scripsit Arethas Cæsariensis, ac proinde non Sæculo VI. sed X. sed post Schisma Photianum. Porro ævo illo quidam e Græcis cœperunt ceteris suæ Sæctæ erroribus hunc etiam adjicere, contententes nimirum contra malorum suorum, immo contra Catholicæ Ecclesiæ sententiam, Justorum Animas non recipere repromissionem, sive mercedem laborum, nisi in consummatione Sæculi. Quid hoc quæso ad nos? Non a Græculis quibusdam recentioris ævi, sed ab antiquis & insignibus Ecclesiæ Patribus, atque a vèrusta Traditione petenda nobis est de statu Animarum doctrina. Ceterum nihil moror, an Arethas *Haden* appellarit *Regionem nobis ignotam, atque inconspiciam*, nam & supra vidimus, idem fuisse traditum a Tertulliano, Lactantio, & aliis, supra quorum tamen opinionem prævaluisse semper ostendimus Ecclesiæ Catholicæ sententiam. Accedit, quod ille hoc nomine non Carcerem, non Locum quemdam designavit sub terra situm, sed quidem *vixæ statum incorporeum & invisibilem Animarum*, uti nonnulli alii inter veteres censuerunt. Neque dicere ausus est, in eo desiderari præsentiam Christi Domini, qua Sanctos post mortem frui Apostolus significavit. Quæ vero Andreas & Arethas scripsere ad cap. VI. de expectata a Sanctis Consummatione Sæculi, ut & ipsi cum fratribus consummentur secundum Apostoli verba: jam non semel monuimus, referenda esse ad Corporis Resurrectionem, consummatamque Gloriam, quam Iusti post supremum Iudicium Carne quoque adipiscuntur. Neque aliter ii sensisse videntur, nisi discordes ipsos a se ipsis velimus. Nam ad Andream quod attrinet, is cap. X. ait: *Thronum in Cælo positum vidi. Per hanc autem sedem, Christi in Sanctis Requies designatur: siquidem in illis veluti in throno quodam insidet.* Et infra: *Per hæc ostenditur, Thronum Dei, nihil fere aliud esse, quam Regnum Dei, jocundamque in eisdem Sanctis Requiem.* Cernit autem in Regno illo Seraphin &c. Tum cap. IX. Martyri-